



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De viduis quæ semel sacræ conuersionis velamen suscipiunt. xxxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

huius constitutionis normæ contumaciter transgressor extiterit, scilicet vt aliquas viduas velare præsumat, quia hoc & episcopis non licet, gradus sui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus à presbyteris non velandis statutum est, vt si quis hoc facere tentauerit, tanquam transgressor canonum damnetur.

Quòd viduæ sub nulla benedictione sint velandæ.

Caput XXXIIII.

NAm de viduis sub nulla benedictione velandis, superius latius duximus differendum. Quæ si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerunt, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfactione placare. Sicut enim si se forsitan continere non poterant secuudum Apostolum, nullatenus nubere vetabantur, sic habita secum deliberatione, ipsam Deo pudicitia fidei debuerunt custodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus iniicere, sed solas adhortationes præmii sempiterni, pœnasq; proponere diuini iudicii, vt nostra sit absoluta cōscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cauendum quippe est, quòd de earum moribus, actibusque beatus Paulus testatur apostolus, quòd planius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri, quàm admoneri videatur.

Ex decret.

Gelasii

papa. ca.

21.

De viduis quæ semel sacrae conuersationis velamen suscipiunt.

Cap. XXXV.

Vidua quæ spontanea voluntate ab altari, sacrae conuersationis velamen suscipiunt, decreuit sancta synodus, in eodem proposito eas permanere. Non enim fas esse decernimus, vt postquam se domino semel sub velo consecrauerint, & inter velatas oblationes fecerint, iterum ei concedi spiritui sancto mentiri.

Ex concilio

Aureliano.

cap. 3.

De viduis, vt nullus eas velare attentet.

Caput XXXVI.

Viduas autem velare pontificum nullus attentet, prout constitutum est in decretis Gelasii, capitulo XIII. quod nec autoritas diuina, nec canonum forma præstitit. Quæ si propria fuerit voluntate continentiam professæ, vt in eiusdem Gelasii capitulo XXI. legitur, eius intentio pro se reddat rationem Deo: quia sicut secundum

Ex concilio

Mogunti.

cap. 6.